



INDEX LECTIÖNUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

P E R H I E M E M

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXIV—V

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI
INSTITUENDARUM.

De nos benedicti
BENEDICTI DE BRUNSBURG
PROFESSOR LIBRARIUS ORGANIZATOR

PRAECEDED PROF. DR. FRANC. HIPLER DE THEOLOGIA LIBRORUM QUI SUB DIONYSII AREOPAGITAE
NOMINE FERUNTUR PARTICULAR ALTERA.



Brunsb ergae,

TYPIS HEYNEANIS.

1874





LYCEI REGII HOSIANO BRUNSBURGENSI

A DIE VII OCTOBRIIS MDCCCLXVII—A

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. JOS. BENDER,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



AB 1472

ausgeliehen am

18. 10. 1972

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

R E C T O R E T S E N A T U S

CIVIBUS SUIS

S.

De theologia librorum qui sub Dionysii Areopagitae
nomine feruntur.

Particula secunda¹⁾.

B. De Deo Deique nominibus.

23. In theologia mystica et abdicativa per negationes ab infimis per media ad suprema, a sensibilibus videlicet memoriae imaginibus per intellectuales mentis raciocinationes ad mysticam amoris visionem via purgativa, via illuminativa et via unitiva, per fidem divinis eloquiis habitam, per spem orationibus comprobatam, per charitatem imitatione Christi et sui ipsius abdicatione perfectam ascendendum est. In theologia vero intellectibili et addicativa, quae sacrae scripturae de Dei interna externaque operatione testimonia illustrat per positiones a primis per media ad extrema, ab ineffabilis Trinitatis mysterio per nomina intelligibilia ad nomina sensibilia descendendum est. Etenim de Deo qui supra omnem positionem est via affirmativa tractantibus ab eo utique quod ipsi magis cognatum est fundamentum et principium ponere debemus affirmandi. Annon est Deus magis bonitas et vita et sapientia, quam aër et lapis et vermis? (M. II.)

24. Omnes autem sacrae scripturae ad declarandum nobis Deum et ad laudandum eum divina nomina formant secundum divinae bonitatis emanationes (*πρὸς τὰς ἀγαθονογοὺς τῆς θεολογίας προόδους*). Ipsa videlicet bonitas a sacris literis exempta ab omnibus divinitati tanquam essentiali bonitati et substanciali bono tribuitur celebraturque totam essentiam divinam, quidquid tandem sit, definisse et revelasse²⁾. Nemo enim bonus nisi solus Deus (Matth. 19, 17). Quinimmo nullo nomine a lingua humana formato divinitatem inaccessiblem nominare fas esset ulli supernaturalis veritatis amatori, sed e contrario ceu ab omni habitu motu vita imaginatione opinione nomine sermone cogitatione intelligentia substantia unione fine immensitate et ab omnibus quaecunque sunt superlate eam abstractam celebrare deberemus, nisi per bonitatem suam secundum providentiales archetypos ipsum esse et creans et insigniens causa

¹⁾ Cf. Particulam primam Theologiae Dionysiaceae in Indice Lectionum Lycei Regii Hosiani per aestatem a MDCCCLXXI instituendarum.

²⁾ D. II, 1. IV, 1.

exstitisset omnium, ideoque laudari et posset et deberet ab omnibus effectis, quia et circum ipsam sunt omnia et propter ipsam et ipsa est ante omnia et in ipsa omnia consistunt ipsamque omnia appetunt³⁾.

25. Propterea theologi Deum celebrant et nominibus carentem et a multis et ab omnibus nominibus⁴⁾. Tanquam nomine carentem quum aiunt, Deum in una ex mysticis visionibus eum increpasse qui dixerat: „Quod est nomen tuum?“ et tanquam ab omni divino nomine abducentem dixisse: „Quare interrogas de meo nomine? et hoc est admirabile“. (1. Mos. 32, 29. Iudic. 13, 18.) Unde etiam apostolus nomen eius „super omne nomen quod nominatur“ elatum esse dicit (Eph. 1, 21). — Quum vero propter bonitatem suam Deus ipse nomen suum nominet: „ego sum qui sum“ (οὐκέτι 2. Mos. 3, 14), „ego sum vita, lux, veritas“, multis quoque nominibus hagiographi Deum appellant tanquam unitatem et tanquam trinitatem et tanquam omnium effectorem, ab omnibus effectis eum celebrantes „ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut dilectum, ut Deum Deorum, ut dominum dominorum, ut sanctum sanctorum, ut aeternum, ut eum qui est, ut auctorem saeculorum, ut largitorem vitae, ut sapientiam, ut mentem, ut verbum, ut cognitorem, ut superlate habentem omnes thesauros omnis scientiae, ut potentiam, ut potentem, ut regem regum, ut antiquum dierum, ut non senescentem et immutabilem, ut salutem, ut iustitiam, ut sanctificationem, ut redemptionem, ut magnitudine omnia superantem et ut in aura tenui“. Atqui — ad sensibilia iam nomina transeuntes — et in mentibus eum esse dicunt et in animis et in corporibus et in coelo et in terra et simul in eodem eundem, in mundo, circa mundum, super mundum, supercoelestem, suprasubstantialem solem, stellam, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, per se lapidem, petram, omnia quae sunt et nihil eorum quae sunt⁵⁾.

Primum ergo de Deo uno et trino sive de superessentialibus, tunc de spiritualibus, deinde de sensibilibus Dei nominibus agendum erit.

³⁾ D. I, 4 et 5.

⁴⁾ Cf. D. I, 6. „ἀνώνυμος καὶ πολύωνυμος καὶ ἐξ παντὸς ὀνόματος“. Cf. similem prorsus S. Gregorii Nazianzeni sententiam his versibus expressam (Opp. ed. Caillou. II, 286):

Σοὶ ἐνὶ πάντα μένει, τοῖς δὲ ἀθρόᾳ πάντα θοάζει,
Σὺ πάντων τέλος ἔστι, καὶ εἰς καὶ πάντα καὶ οὐδὲν,
Οὐχὶ ἐν ἑών, οὐ πάντα. Πανώνυμε τί σε καλέσσω
Τὸν μόνον ἀκλήστον ὑπὲρ νεφελές καὶ καλύπτεας
Τίς νόος οὐρανιδῆς εἰσδύσσεται.

Cf. M. Schubach, De b. patris Gregorii N. Theolog. carminibus. Confluentibus 1871. p. 48.

⁵⁾ D. I, 6. — Summa cum diligentia S. Thomas in commentario suo ad hunc locum omnes s. scripturae locos collegit, unde haec nomina divina, quae tribus libris (theologicis informationibus, de divinis nominibus, theologia symbolica) ab autore nostro explicantur, deprompta sunt. Neque abs re erit eiusdem doctoris angelici de quaterna s. Dionysii theologia iudicium commentario ipsius praemissum hic exhibuisse. „Ad intellectum librorum Dionysii considerandum est, quod ea quae de Deo in sacris scripturis dicuntur, artificialiter quadrifariam divisit. Nam in libro quodam, qui apud nos non habetur, qui intitulatur de divinis hypotyposibus ea de Deo tradidit, quae ad unitatem divinæ essentiae et distinctionem personarum pertinent. Cuius unitatis et distinctionis sufficiens similitudo in rebus creatis non invenitur, sed hoc mysterium omnem naturalis rationis facultatem excedit. — Quae vero dicuntur de Deo in scripturis, quarum aliqua similitudo in creaturis invenitur duplice se habent. Nam huiusmodi similitudo in quibusdam quidem attenditur tanquam aliquid, quod a Deo in creaturas derivatur. Sicut a primo bono sunt omnia bona... Et talia pertractat Dionysius in libro de divinis nominibus, eodem quem prae manibus habemus. — In quibusdam vero similitudo attenditur tanquam aliquid a creaturis in Deum translatum. Sicut Deus dicitur leo, petra, sol; sic enim Deus symbolice seu metaphorice nominatur. Et de huiusmodi tractavit Dionysius in quodam suo libro, quem de symbolica theologia intitulavit. Sed quod omnis similitudo creaturæ ad Deum deficiens est... ipse Deus remanet ignotus. De huiusmodi remotionibus fecit alium librum quem intitulavit de mystica theologia“. l. l. p. CLXXX.

I. De superessentialibus Dei nominibus sive de Deo uno et trino et de verbo divino.

Tribus hic capitibus agendum nobis est de Dei unitate, de Dei trinitate et de aeterno verbo divino⁶⁾.

1. De Dei unitate.

26. Deus unus est et in omnibus fere libris sacris tanquam unitas et monas (*ἐναὶς καὶ μονᾶς*) celebratur propter supernaturalis individui sui simplicitatem, ex qua ceu unifica virtute unum quid existimus et dividuis nostris diversitatibus supermundane coagmentatis ad monadem quandam deiformem redigimur. Omnia ideo nomina, quibus s. scriptura Deum nominat, de unica et tota divinitate semper sunt sumenda et non de singulis divinitatis partibus. Neque vero hac de causa distinctiones divinitati competentes ullo modo confundantur; s. scriptura enim quaedam copulate, quaedam vero distincte de Deo praedicat neque fas est copulata disiungere nec distincta confundere⁷⁾.

27. Copulatim vero de individua deitate dicta sunt omnia nomina, quae via eminentis negationis et causalitatis de Deo praedicantur (*τῆς ὑπεροχικῆς ἀγαιόσεως καὶ τὰ αἰτιολογικά*. D. II, 3); quin etiam ea quae ad divinarum personarum in se ipsis, si ita loqui fas est, mutuam mansionem et collocationem spectant; haec enim collocatio et mansio in totum supercopulata est in unum, ita tamen ut non confusa sit in illa parte⁸⁾.

Id quod conferri quodammodo potest cum luminibus plurimarum lampadum, quae in una domo collocata quamvis divisa ita tamen in unum splendorem coalescunt, ut nemo unius lampadis lumen ab aliarum luminibus discernere possit, totumque proprium lumen pereat, si quis unam lampadem educat e domo. Erat enim illorum totorum perfecta coniunctio mera penitus et nulla ex parte confusa. — Simili modo etiam omnia illa, quae via eminentiae vel causalitatis de Deo praedicantur, e. gr. bonum eum esse vel superbonum, pulchrum vel superpulchrum, ad totam deitatem transferenda esse ipsum verbum divinum docet (*θεαρχικός λόγος*) quum ait: „Ego et pater unum sumus“ (Io. 10, 17 et 30). Et rursus quae sunt patris et sua spiritui divino principali per communicationem unionemque attribuit, divinas videlicet operationes, venerationem, scaturientem et nunquam deficientem causam et distributionem honorum quae bonum decent⁹⁾.

Et haec quidem copulatim de Deo dicuntur, illa vero, de quibus nunc agendum est, discreta sunt et re et nomine.

2. De Trinitate divina.

28. Deus, quamvis unus sit, attamen etiam ut trinitas (*τριάς*) celebratur propter superessentialis foecunditatis in tribus personis manifestationem, ex qua paternitas omnis in coelo et in terra est et

⁶⁾ Hanc divisionem non nostram sed autoris nostri esse, patet ex mysticæ theologiae capite III, unde simul edocemur quale fuerit libri de theologicis informationibus hodie perdit argumentum. „Ἐν μὲν οὖν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσι τὰ κυριώτατα τῆς καταφατικῆς θεολογίας ὑμνήσαμεν πῶς ή θεῖα καὶ ἀγαθὴ φύσις ἔντικη λέγεται, πῶς τριαδική τίς η καὶ αὐτὴν λεγομένη πατρότης τε καὶ νιότης τε βούλεται δῆλον η τὸν πνεύματος θεολογίαν πῶς ἐκ τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἀμεօνος ἀγαθοῦ τὰ ἐγκάρδια τῆς ἀγαθότητος ἐξέφυν φῶτα, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ἑαυτοῖς καὶ ἐν ἀλλήλοις συναϊδίον τῇ αναβλαστήσει μονῆς ἀπομεμένηκεν ἀνεκφοίτητα πῶς ὁ ὑπερούσιος Ιησοῦς ἀνθρωπογνωμάτις ἀληθείας οὐσίωνται, καὶ ὅσα ἄλλα πρὸς τῶν λογίων ἐκπεφασμένα κατὰ τὰς θεολογικὰς ὑποτυπώσεις ὑμηται“. (M. III.)

⁷⁾ Cf. D. I, 4. II, 2: *Καὶ οὕτε τὰ ἥρωμένα διαφεύγειν θεμιτὸν, οὕτε τὰ διακεκριμένα συγχεῖν.*

⁸⁾ Cf. D. II, 4: η ἐν ἀλλήλαις τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων μονή καὶ ἰδούσις ὀλικῶς ὑπερηνωμένη καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεκριμένη.

⁹⁾ Cf. D. II, 1. 3. 4. XIII, 2—3.

nominatur¹⁰⁾; hac de causa discreta sunt patris supersubstantiale nomen et res (*πατρὸς ὑπερούσιον ὄνομα καὶ χρῆμα*) a filio et a spiritu sancto, nulla in his facta reciprocatione nec ulla prorsus communitate introducta. Secundum hanc discretionem unaquaeque persona impermixta et inconfusa ponitur¹¹⁾, ita ut divinae generationis actus et notiones (*τὰ τῆς Θεογονίας*) minime inter se confundantur, sed solus pater fons sit in supersubstantiali deitate (*πηγὴ*) atque ita pater non sit filius neque filius sit pater sed cuique divinarum personarum propriae laudes inviolatae conserventur. (D. II, 5.) Sic enim a scripturis sacris accepimus, patrem quidem originem esse divinitatis (*πηγαία Θεότης*), Iesum vero et spiritum deigenitae divinitatis (*τὸ πνεῦμα τῆς Θεογόνου Θεότης*), si dictu fas sit, quasi germina divina floresve ac lumina supersubstantialia existere. — Quonam vero pacto haec sese habeant, neque eloqui neque intelligere valemus¹²⁾. Nulla enim unitas vel trinitas neque numerus neque unio (*ἐνότης*) vel foecunditas, nec aliud quidpiam eorum quae sunt explicat arcanum illud omnem rationem et mentem superans, neque nomen ei est aut ratio, sed inaccessum omnibus eminet. Nullo etiam pacto illae quas nonnulli inferunt imagines supernaturale illud mysterium explanare possunt, quum verbi gratia in supersubstantiali Dei generatione eternum Deum corporee generantem effingunt et eorum hominis eructans verbum in aerem effusum et spiritum ex ore spiritantem, aut dum sinus deigenos filium Dei complectentes in modum corporis collaudant, aut in modum stirpis haec ipsa depingunt et arbores cum surculis et floribus proponunt, aut fontes aquis manantes, aut lucigenas splendorum foecunditates, aut quasdam alias supernaturales rerum divinarum explanatorias descriptiones¹³⁾.

29. Ceterum hanc divinam generationem p[re]ae oculis habentes intelligemus, quomodo omnis divina paternitas et filiatio (*πατρία καὶ νέότης*) ex supereminenti omnium patriarchatu filiique principatu tam nobis quam coelestibus virtutibus indulta sit, unde fit ut omnes mentes deiformes, tum homines tum angeli, dii deorumque filii sint, non materiali modo sed spirituali, dum spiritus divinus (*πνεῦμα θεοχικόν*) supra omnem spiritalem immaterialitatem et deiformem deificationem (*Θέωσιν θεοειδῆ*) una cum patre et filio emiens ab omni simili paternitate ac filiatione deiformi eminenter sint exempti. Ipse enim unus trinusque Deus omnis deiformis deificationis principium est et eminenter Deus, non divisus indivisibilibus, in se unus, et in multis istis mentibus neque mixtus neque multiplicatus, sicut dicit apostolus: „Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in caelo sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi): nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum“. 1. Cor. 8, 5. Non enim perfecta est et absoluta similitudo causarum et causatorum; causata quippe licet quasdam habeant causarum imagines, causae tamen ipsae sunt extra effectus et supra illos. Et, ut exemplis utamur nostris, voluptates et dolores efficere dicuntur, ut homines laetentur, attamen ipsae nec laetantur nec dolent, sicut et ignis comburens et illuminans neque comburitur neque illuminatur. — Non est ideo similitudo aut aequalitas ullo modo perfecta inter ea quae existunt et eorum quae existunt causam, id est inter creaturas et inter verbum divinum¹⁴⁾.

¹⁰⁾ Cf. D. I, 4: ὡς τοιάδα δὲ διὰ τὴν τρισυπόστατον τοῦ ὑπερούσιον γονιμότητος ἐκφανσιν. Cf. ib. II, 2.

¹¹⁾ D. II, 5: Ἀμιγῶς ἴδονται καὶ ἀσυγχώτως ἐκάστη τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων.

¹²⁾ D. II, 7.

¹³⁾ E. IX, 1. Plura de Deo uno et trino in iis autoris nostri libris, qui adhuc supersunt, non inveniuntur; ceterum non solum in „theologicis informationibus“ sed etiam in „divinis hymnis“ fusius de Trinitate disputasse videtur. Ipse enim autor testatur in hoc libro hodie itidem perduto expositis hymnis angelicis a se demonstratum esse: „ὅτι μονάς ἔστι καὶ ἐνάς τρισυπόστατος ἀπὸ τῶν ὑπερουσιανῶν οὐσιῶν ὅχλοι τῶν ἐσχάτων τῆς γῆς διεῖσα τὴν ἀγαθωτάτην αὐτῆς ἐπὶ πάντα τὰ ὅντα πρόνοιαν, ὡς πάσης οὐσίας ὑπεράρχιος ἀρχὴ καὶ αὐτία, καὶ πάντων ὑπερουσίων ἀσχέτῳ συνοχῇ περιθεδαγμένη. cf. C. VII, 4.

¹⁴⁾ D. II, 8 et 11.

3. De verbo divino.

30. Ipsa Iesu divinitas omnia implens causa est omnium quae existunt, unde etiam *λόγος* — verbum — nominatur, quia omnium causas in se ipsa uniformiter anticipavit et supra omnem simplicitatem simplex est absolutaque ab omnibus¹⁵⁾. Hoc verbum divinum, „servat partes toti consentientes et neque pars neque totum est, et est totum et pars, quatenus omne et totum et partem in se ipso comprehendit et suprahabet et antehabet. Perfectum quidem est in imperfectis tanquam principialis causa perfectionis, imperfectum autem in perfectis, quia superperfectum et anteperfectum; forma formas efficiens (*εὖδος εὐδοποιόν*) in iis quae carent forma et ideo principialis causa formae, sine forma in ipsis formis, utpote supra formam; substantia totis substantiis insistens impollute et ab omni substantia supra substantiam abstracta, tota principia et ordines definiens, ipsa super omne principium et omnem ordinem collocata. Rerum porro est mensura et saeculum, ipsum supra saeculum et ante saeculum; plenum est hoc verbum in iis quae egent, in iis quae plena sunt exuberat; ineffabile est et inexplicabile, supra sensum, supra vitam, supra substantiam“¹⁶⁾.

31. Atqui hoc quidem verbum omnia et continet et scit antequam fiant, non ex rebus videlicet sed ex se ipso, sicut et lux secundum causam tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras noscens¹⁷⁾. Unde etiam omnium providentia (*πρόνοια*) nominatur. Quae quidem providentia divina et generalia et specialia et singularia complexa¹⁸⁾ nil distat ab ipsa natura divina, neque, superessential habens existentiam, ab ulla re participari potest; imparicipabilis (*ἀμέθεκτος*) enim est sicut et Deus¹⁹⁾. Quum autem divina bonitas omnia quae sunt secundum similitudinem suam producere ab aeterno constituit, si dicere fas est, fieri non potest, quin providentiam illam imparicipabilem reddat participabilem (*μέθεκτον*) providentiasque participabiles vel virtutes providentiales (*προνοητικάς δυνάμεις καὶ μετόχας* vel *δωρεάς*) ex se emittat²⁰⁾. Id est Deus secundum superessential bonitatem, essentiam, vitam suam (*αὐτούπεραγαθότης, αὐτούπερουσία, αὐτούπερζωή*), quae essentialiter (*οὐσιωδῶς*) in verbo divino ab aeterno sunt, et substantiationem et vivificationem et deificationem per se (*αὐτοονίσισιν, αὐτοζώσιν, αὐτοθέωσιν*) ab aeterno creat. Quae quidem virtutes participabiles, si creationem ipsam in tempore factam mundumque creatum spectayeris, non iam substantiationem, vivificationem etc. per se, sed ipsum esse, ipsa vita, ipsa bonitas (*αὐτὸ τὸ εἶναι, αὐτοζωή, αὐτοαγαθότης*) nominandae sunt exemplariaque evadunt seu potius ideae emanativae (*ἰδέαι, πρόοδοι*) quae essendo existentes (*τῷ εἶναι ὄντες*) omnia quaecunque sunt insigniunt²¹⁾.

¹⁵⁾ D. II, 10 et VII, 4. — *Αόγος ὁ Θεὸς ἴμνεῖται, ὅτι καὶ τὰς πάντων αἵτιας ἐν ἔαντῷ μονοειδῶς προείληφεν, καὶ ὅτι διὰ τῶν πάντων χωρεῖ διέκνομενος, ὡς τὰ λόγια φησιν.*

¹⁶⁾ D. II, 10, ubi haec verbi divini descriptio Hierotheo, autoris nostri praeceptoris, tribuitur. Cf. Staudenmaier, die Lehre von der Idee p. 533—535.

¹⁷⁾ D. VII, 2: *ώσπερ καὶ τὸ φῶς καὶ αἴτιαν ἐν ἔαντῷ τὴν εἶδησιν τοῦ σκότους προείληφεν, οὐκ ἄλλοθεν εἴδως τὸ σκότος η̄ απὸ τοῦ φωτός.* Unde patet auctori nostro mundum idealem contrapositionem quandam dei visam fuisse. Ceterum cf. ad hunc locum Maximi scholia ap. Cord. I, 761.

¹⁸⁾ D. XIII, 2, XI, 6.

¹⁹⁾ D. XI, 6.

²⁰⁾ D. XI, 6: *μεθεκτῶς δὲ τὰς ἐκδιδομένας ἐξ θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου δυνάμεις, ὡν τὰ ὄντα οἰκεῖως ἔαντος μετέχοντα καὶ ὄντα καὶ ζῶντα καὶ ἐνθεα καὶ ἐστι καὶ λέγεται.* — Cf. C. IV, 1. *Πάντα μὲν οὖν τὰ ὄντα μετέχει προνοίας ἐξ τῆς ὑπερουσίου καὶ παναυτίου θεότητος ἐκβλυζούμενης.*

²¹⁾ D. V, 7: *ὅσα τῷ εἶναι ὄντα τὰ ὄντα πάντα χαρακτηρίζεται, i. e. principia imparicipabilia ipsi esse (*αὐτῷ τῷ εἶναι*) copulata, et sunt (sc. participabilia) et exemplaria fiunt, omnia quae sunt (*τὰ ὄντα*) insignientia.*

32. Tantum autem abest ut hae ideae, quales sunt: ipsum esse, ipsa vita, ipsa sapientia, ipse ordo, ipsa ratio, ipse sensus, ipse status, ipsa unio, ipsa amicitia, ipsa definitio (*αὐτὸς τὸ εἶναι* etc.), substantiae quaedam sint divinae vel angelicae, aut dii, ipsi per se res creantes et vivificantes²²), sicut nonnulli putant et putaverunt, quamvis nec ipsi nec patres eorum tales deos unquam viderunt et sciverunt, — ut haec exemplaria divine, causaliter et imparicipabiliter (*Θεῖκῶς καὶ αἰτιατικῶς καὶ ἀμεθεκτῶς*) considerata, nihil aliud sint nisi unum super cuncta eminens omnium principium et causa superessentialis, i. e. verbum divinum, quod in se omnia principia et media et fines continet. Quamobrem omnia de illo et dicuntur et non dicuntur, quia nihil est omnium, simul vero omnibus pure illucens existentiam largitur secundum unam superunitamque causam²³).

II. De spiritualibus Dei nominibus sive de attributis divinis²⁴).

33. Divinam substantiam vel suprasubstantiam (*ὑπερούσιον οὐσίαν*) cognoscere vel exprimere uti in se est quum ipsa mens cum Deo unita non possit, substantiae deificae et quae omnis substantiae principium est (i. e. providentiae participabilis) ad universa quae sunt emanationem celebrasse satis erit. Ab hac videlicet providentia ipse Deus nominatus est; nihil aliud enim significat „Deus“ nisi videns omnia providentia (*Θεότης δὲ ἡ πάντα Θεωμένη πρόνοια*) omnigena bonitate cuncta circumspiciens continensque, nec non se ipsa complens et transsiliens omnia, quae ipsius providentia fruuntur²⁵).

34. Universas autem divinas emanationes (*προόδους*) nomen boni declarat; porrigitur enim haec nominatio divina tum ad ea quae sunt, tum ad ea quae non sunt, estque super ea quae sunt et quae non sunt²⁶.

Reliqua nomina divina particularia quodammodo sunt; nomen enim entis ad ea tantum quae sunt extenditur atque super omnes essentias eminet; nomen vitae ad omnia viventia, nomen intelligentiae ad omnia intelligentia et sentientia porrigitur et supra omnia ista est.

35. Atqui haec bonitatis, entis, vitae, sapientiae divina nomina non sicut in Deo superessentialiter vera sunt celerabimus — Dei enim nomen, ut eloquia tradunt, ineffabile est et absconditum — sed ita tantummodo ut in patefacta donorum effectrice providentia sunt (*ἡ ἐκπεφασμένη ἀγαθοποιὸς πρόνοια*) explicabimus, tanquam omnis substantiae, vitae, sapientiae causas et effectrices, nullo modo oblii nihil aliud esse bonum et aliud ens, aliudque vitam aut sapientiam, neque multas esse causas et deitates, sed unius Dei universas esse bonas emanationes et nominationes²⁷).

²²) D. XI, 6. *δῆμιον γοὶ αὐτοσχεδιάσαντες*.

²³) D. V. 8: *πᾶσι τῷ εἶναι κατὰ μέαν καὶ ὑπερηνωμένῃ αἰτίᾳ ἀχράντως ἐπιλάμπων*. — Cf. etiam C. IV, 1: *Πάντα μὲν οὖν τὰ ὄντα μετέχει προνοίας ... οὐ γάρ ἀν ἦν, εἰ μὴ τῆς τῶν ὄντων οὐσίας καὶ σχῆμας μετειλήφει*. — Ceterum haec autoris nostri de verbo divino et de mundo archetypo doctrina perobscura est, ita ut ipse doctissimus Petavius, utrum recte eam intellexerit necne nescire se fateatur. Cf. D. Petavii theologicorum dogmatum tom. I. lib. IV, 9—11 (de ideis). Schubach l. l. p. 50.

²⁴) De his spiritualibus Dei nominibus agitur in libro de divinis nominibus.

²⁵) D. V, 1. et XII, 2.

²⁶) D. V, 1. Cf. S. Thomae ad hunc locum commentarium: Porrigitur enim nomen boni etiam ad ea quae non sunt aut 1) „quia Deus vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt“; (Rom. 4, 17) participatio quipe boni est „posse esse“; aut 2) quia „non esse“ bonum est, quum illud in Deo contemplatur, qui non est; utpote super omnia, ergo etiam super existentiam eminens, et a quo omnia praedicamenta removenda sunt non propter defectum sed propter excessum. Cf. etiam S. Maximum ap. Cord. I, p. 618: *Τὸ μὴ οὖν τοῦτο καὶ ἀνείδεον ὑληγ ἐκαλέσαντο οἱ παλαιοὶ ἡ καὶ ἔσχατον αἰσχος ὀνομάζοντες*.

²⁷) D. V, 1.

1. De universali Dei nomine.

36. Exempte ab omnibus divinitati superdivinae attribuunt theologi nomen boni, vocantes bonitatem ipsam essentiam divinam (*Θεορχικὴν ὑπαρξὴν ἀγαθότητα λέγοντες*) et divinitatis (sc. deiformis) originem. Eo enim modo essentia sua bonus est Deus, ut, tanquam substantiale bonum, bonitatem in omnia porrigit. Quemadmodum enim sol visibilis ille non cogitatione et voluntate²⁸⁾, sed eo ipso quod est illuminat universa quae quoquo modo lucis eius sunt capacia, sic etiam ipsum bonum, non secus solem superans quam primaeva species (*ἀρχέτυπος*) obscuram imaginem (*εἰκών*), ipsa sua substantia rebus omnibus bonitatis suae radios effundit. Et si quid ab his radiis non illuminatur non ipsa est causa, sed res potius non expedita est ad participationem luminis. Ac revera multa sunt quae radius solis praetergressus illa quae ultra sunt illuminat; nihil autem est eorum quae sunt, quo non pertingat sol ingenti vi splendoris sui, nihil quod ad se non convertat et in se salvet, unde etiam solis nomen habet, quod omnia servet salva et congregat dispersa (*ἥλιος ὅτι πάντα ποιεῖ ἀολλῆ*). Non ita quidem ut antiquitas (*παλαιότης*) existimabat, quod sol sit Deus et auctor universi, sed potius quod invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur (Rom. 1, 20). Unde et lumen intellectuale (*φῶς νοητόν*) dicitur illud bonum, quod est supra omne lumen, omnem mentem illuminans et omnibus antecellens et tanquam principium luminis omne lumen in se supraessentialiter comprehensum praehabens atque omnia ratione et mente praedita congregans et in unum copulans. Etenim sicut ignorantia errantes dirimit, sic adventus luminis superessentialis, simplicis et vere existentis veritatis (D. IX, 4), illuminatos congregat et copulat perficitque eos vera, pura et simplici eius quod vere est cognitione²⁹⁾.

37. Hoc idem bonum laudatur a sacris theologis ut pulchrum et pulchritudo superessentialis, cuius participatione omnia pulchra fiunt. Causa ergo est omnis pulchritudinis et venustatis omniaque ad se pellicit et vocat (*χαλεῖ*), unde pulchritudo (*χάλλος*) vocatur. In ipsa enim natura simplici ac supernaturali aeternae pulchritudinis (*χάλλονς*) omnis pulchritudo (sc. creata) — *χαλλονή* — et omne pulchrum uniformiter secundum causam praeexistit, et ideo propter pulchrum sunt omnes congruentiae et amicitiae et communicationes (*ἔφαμονία, φιλία, κοινωνία*) et per pulchrum omnia coniunguntur, et pulchrum est omnium principium ut causa efficiens et movens et universa propriae pulchritudinis amore continens, et est conservatio et finis omnium, unde idem est pulchrum et bonum³⁰⁾, quoniam omnia pulchrum et bonum appetunt neque ulla res inveniri possit, quin pulchrum et bonum participet, ita ut etiam id quod non est (*τὸ μὴ ὄν = materia prima*) pulchrum et bonum participet; tunc enim et ipsum quod non est pulchrum est et bonum, quando in Deo laudatur supra substantiam auferendo universa. — Hinc non solum omnium in hoc universo contempagationes et amicitiae eorumque quae fiunt perpetuae successiones, sed etiam omnes status et motus mentium, animorum et corporum; status videlicet per formas in pulchritudine praehabitas, quibus omnes res stabiliuntur et determinantur; motus vere per directionem, qua omnia ad ultimum finem (pulchritudinem aeternam) motione seu recta

²⁸⁾ D. IV, 4—6. IX, 4. Ceterum s. Thomas: Summ. I, 19, 4 contendit his s. Dionysii verbis non excludi in Deo electionem simpliciter sed electionem secundum quid, ita ut non tantum quibusdam creaturis sed omnibus bonitatem suam tribuere debeat.

²⁹⁾ D. IV, 5—7. Cf. similem prorsus solis descriptionem Copernicanam Rev. orb. coel. I, 10.

³⁰⁾ Thom. Summ. I, 5, 4: Bonum pertinet ad rationem finis, pulchrum ad rationem causae formalis vel ideae, qua lumen divinum participatur in quantum participari potest.

seu obliqua seu circulari diriguntur Deumque appetunt: spiritualia et rationalia per cognitionem, sensibilia per sensum, reliqua vero per innatum motum vitalis aut necessariae appetitionis³¹⁾.

38. Atque sic ad bonum, verum, pulchrum aspirantia amore revera moventur, illius amoris imagine, cuius excessu et excellentia ipsum Deum, qui est omnium causa, omnia amare, facere, perficere et ad se convertere audemus dicere, ita ut Deus sit divinus amor boni propter bonum. Ipse enim amor divinus, qui bonitatem operatur in iis quae sunt, quia prius exstitit in bono supereminenter, non sicut ipsum in se sine foetu manere sed potius movit eum ad operandum secundum excellentiam virtutis suae omnium effectricis³²⁾. Amor enim divinus ecstaticus (*ἐκστατικός*) est, qui non sinit esse suos qui sunt amatores, sed eorum quos amant. Unde etiam zelotes nuncupatur a rerum divinarum peritis, quia magno et benigno rerum amore tenetur easque ad ipsius amatorii zeli desiderium provocat atque adeo semetipsum quodammodo zeloten praestat; amor vero et dilectio nominatur (*ἔρως καὶ ἀγάπης*), quia amoris auctor est et generator et tanquam manifestatio sui ipsius per se ipsum³³⁾ et ut benignus excessus eximiae illius unionis, simplex, per se mobilis, praeeexistens in bono et ex bono in ea quae sunt redundans ac rursus ad bonum revertens. Unde et principio et fine sese carere divinus amor ostendit tanquam sempiternus circulus. (D. IV, 13—14.)

2. De particularibus Dei nominibus.

39. Sicut nomen bonitatis universam Dei essentiam aptissime exprimit, sic nomina entis, vitae, sapientiae partes quasdam divinitatis si dicere fas est denominant atque significant; inter quae nomen entis latissimum, nomen sapientiae summum quidem sed etiam angustissimum est.

a. De ente et essentia.

40. Ille qui est (*ὁ ὁν*) super universam essentiam eminet atque eiusdem essentiae causa substantialis existit et effector entis, existentiae, personae, substantiae, naturae (*δημιουργὸς ὄντος κ. τ. λ.*); ab ipso omnia intelligibilia et sensibilia, ipse est principium et mensura saeculorum et temporum essentiator; saeculum eorum quae sunt, tempus eorum quae fiunt (*αἰών τῶν ὄντων, χρόνος τῶν γεγονότων*), esse iis quae quoquo modo sunt, generatio quoquo modo genitis.

Non enim quovis modo Deus est ens, sed simpliciter totum esse (*ὅλον τὸ εἶναι*) in se complexus et prahabet et anticipat. Quare etiam rex saeculorum nominatur et antiquus dierum, ante dies, ante aevum, ante tempus existens³⁴⁾ (*ὁ πρόσων*). Verum quum in sacris scripturis aliquando aevum temporale

³¹⁾ D. IV, 8—10: Τὰ μὲν νοερὰ καὶ λογικὰ γνωστικῶς, τὰ δὲ ὑφειμένα αὐτῶν αἰσθητικῶς καὶ τὰ ἄλλα κατὰ ζωτικὴν κίνησιν ἡ οὐσιώδη καὶ ἐκτικὴν ἐπιτηδεύσητα.

³²⁾ D. IV, 12: Παρδησίασται δὲ καὶ τοῦτο εἰπεῖν ὁ ἀληθῆς λόγος, ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ πάντων αἴτιος δὲ ἀγαθότητος ὑπερβολὴν πάντων ἔργη, πάντα ποιεῖ, πάντα τελεῖοι, πάντα συνέχει, πάντα ἐπιστρέφει καὶ ἔστι δὲ ὁ θεός ἔρως ἀγαθὸς ἀγαθὸν διὰ τὸ ἀγαθόν. Αὐτὸς γάρ ὁ ἀγαθοεργὸς τῶν ὄντων ἔρως... οὐκ εἰσεν αὐτὸν ἄγονον ἐν ἔαντῳ μένειν, ἐκίνησε δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πρακτικεύεσθαι κατὰ τὴν ἀπάντων γεννητικὴν ὑπερβολήν.

³³⁾ D. IV, 14: ὥσπερ ἔχειν τὸν ἄντον καὶ τῆς ἐξηρημένης ἐνώσεως ἀγαθὴν πρόσοδον. Amor enim Dei erga creaturas est processus quidam et veluti germen amoris Dei, quo amat se ipsum; sicut cognitio effectuum, admonente Lessio (de perfectionibus div. II, 2), est quidam processus cognitionis principiorum. „Eximiae unionis“ vero est ille amor, quo Deus se ipsum ut summum bonum et pulchrum amat; est enim unio quaedam vitalis Dei in unitate trini ad se ipsum. Cf. etiam Cord. I, 596.

³⁴⁾ D. V, 4: Δημιουργὸς ὄντος, ὁ ποστάσεως, οὐσίας, φύσεως... ὅλον ἐν ἔαντῷ τὸ εἶναι συνειληφὼς καὶ προειληφὼς. Cf. locum prorsus similem apud Greg. Naz. orat. II. de pascha (45. edit.

et tempus aeternum celebretur, non simpliciter ea quae aeterna dicuntur coaeterna putanda sunt Deo, qui est ante et supra aeternitatem, sed potius aeterna et temporalia secundum modos ibi notatos accipienda sunt. Aeternitatis enim est antiquum esse et immutabile totumque statum rerum mensurare; temporis vero mensurare generationem et corruptionem et alterationem et quocunque aliter alias se habet³⁵⁾.

41. Deus autem non mutatur sed semper manet idem, omnibus praesens et ubique locorum³⁶⁾, lapsus expers, non indigens, sine materia, omnino ingenitus, semper existens et in se perfectus (*ἄὐλον, ἀεὶ ὄν, αὐτοτελῆς*), in se ipso etiam contraria sibi eodem modo praehabens secundum unam atque unicam causam eminentem totius identitatis. (D. IX, 4.) Atque ideo Deus, in quo cuiuslibet esse et est et constat, ipse neque erat, neque erit, neque factus est, neque fit, immo nec est, sed ipse est esse rebus; non enim habet ipse existentiam, sed existentia (*τὸ εἶναι*) habet ipsum, quia ab ipso est, neque ullo modo Deus esse potest per existentiam. Illud autem scripturae: „qui est et qui erit et qui venturus est“ (Apoc. 1, 4 et 8, 6, 17) re vera significat, Deum supra omnem substantiam esse et causam eorum quae quomodocunque sunt³⁷⁾.

Nulli enim creaturae similis est Deus, sed ipse similitudinem divinam (*όμοιότης*) iis dat, qui ad eum convertuntur, dum eum supra omnem terminum ac rationem pro viribus imitantur. Atque haec est divinae similitudinis vis, ut omnia quae producta sunt (*τὰ παραγόμενα*) ad autorem suum convertat. Eo igitur sensu Deo similes dicendae sunt creature, ut ad eius imaginem et similitudinem (*εἰκόνα καὶ ὄμοιόσιν*) effectae intelligantur; nullo modo autem Deus creaturis similis est dicendus. Similia enim sibi invicem dici possunt nonnisi ea quae aequalia sunt, ita ut ambo sint iterum similia secundum principalem speciem similitudinis (sc. divinae), quae omnium rerum coniunctionem explet³⁸⁾. Quia de causa magnus quoque appellatur secundum eam quae ipsi propria est magnitudinem, omnem locum complecentem, omnem numerum excedentem, et secundum superplenitudinem suam (*ὑπερπλήρες*) ac magnificentiam fontalesque suas distributiones (*πηγαίς δωρεάς*), quae omnibus infinite communicatae prorsus manent imminutae, quin immo magis redundant. — Eodem porro iure etiam parvus et subtilis dicitur, quod omnem molem et distantiam effugit et absque impedimento omnia permeat „usque ad divisionem animae et spiritus“ (Heb. 4, 12), immo omnium quae sunt; non enim est creatura invisibilis in conspectu illius qui omnia comprehendit, comprehendi vero potest a nemine³⁹⁾.

42. Deus igitur quum omnibus aliis principalior sit (*ἀρχηγώτερον*), ab antiquiore dono suo (*δωρέα*) laudari potest ut „ens“. Siquidem prius esse et excellentius esse quum prius et excellentius habeat, prius fecit ipsum esse et per hoc omne quod quomodocunque est existere fecit⁴⁰⁾. A superessentiali ergo potentia essendi potentiam habet ipsum esse, tanquam primum principium, et huius primi

Maur.): *ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι . . . ὁ θεὸς, πέλαγος οὐσίας ἀπειρον καὶ ἀόριστον*, quae ultima verba apud nostrum eodem fere modo leguntur: *Θεαρχικὸν φωτὸς ἀπειρόν τε καὶ ἀφθονον πέλαγος* C. IX, 2. (Cf. Cord. II, 392.)

³⁵⁾ D. V, 4. X, 2.

³⁶⁾ D. III, 1 et supra № 17.

³⁷⁾ D. IV, 8.

³⁸⁾ D. IX, 6.

³⁹⁾ Ib. IX, 2—3.

⁴⁰⁾ D. V, 5: *Καὶ γὰρ τὸ προεῖναι καὶ ὑπερεῖναι προέχων καὶ ὑπερέχων τὸ εἶναι πᾶν, αὐτό φημι καθ' αὐτὸ τὸ εἶναι, προύπεστήσατο καὶ τῷ εἶναι αὐτῷ πᾶν τὸ δύτωσον ὃν ὑπεστήσατο.* — Cf. etiam D. VIII, 3: *αὐτὸ δὲ τὸ εἶναι δύναμιν εἰς τὸ εἶναι ἔχει παρὰ τῆς ὑπερουσίου δυνάμεως.* — Et D. I, 5: „Ἐπειδὴ δὲ ὡς ἀγαθότητος ὑπαρξίας αὐτῷ τῷ εἶναι πάντων ἐστὶ τῶν ὅντων αἵτια, τὴν ἀγαθαρχικὴν τῆς Θεαρχίας πρόνοιαν ἐκ πάντων τῶν αἵτιατῶν ὑμνητέον.

principii participatione omnia alia principia seu exemplaria et sunt et principia exemplariaque sunt, et primum sunt, postea vero principia sunt, quae participari possint ab iis quae quomodocunque sunt.⁴⁰

43. Ex divina ergo superbonitate (*αὐτούπεραγαθότης*) originem ducunt illo utique, qui supra iam descriptus est, modo:

- 1) ipsum per se esse (*αὐτὸν τὸ εἶναι*) tanquam primum principium (*ἀρχή*) vel exemplar, et cum et in illo principio omnia alia
- 2) rerum principia (*αἱ τῶν ὄντων ἀρχαί*) veluti *αὐτοζώη*, *αὐτοσοφία*, *αὐτοομοίωσις*, *αὐτότελος* κ. τ. λ.
- 3) Omnia quaecunque et quomodocunque sunt (*τὰ ὄντα πάντα καὶ τὰ ὅπωσοῦν τῷ εἶναι διακρατούμενα*. (D. V, 5—6.)

Et quidem incomprehense et copulate et singulariter (*ἀσχέτως καὶ συνειλημμένως καὶ μοναχῶς*) haec omnia sunt in superbonitate divina. Siquidem in unitate omnis numerus uniformiter praeeexistit habetque unitas in se ipsa singulariter omnem numerum, et omnis numerus in unum copulatus est, et quanto longius ab unitate procedit, tanto magis dividitur et multiplicatur. Sic etiam in centro omnes lineae circuli una copulatione simul existunt, et punctum habet omnes rectas lineas uniformiter copulatas inter se et cum illo principio ex quo exierunt; et parum ab eo distantes parum dividuntur, magis autem distantes magis, et ne plura, quanto sunt centro propinquiores tanto magis cum eo et inter se copulantur, et quanto magis a centro distant, tanto magis et inter se distant⁴¹).

Immo et in tota natura universi rationes seu notiones (*λόγοι*) uniuscuiusque naturae una copulatione non confusa (*μιᾷ ἀσυγχώνῳ ἔνωσι*) collectae sunt, et in anima omnium corporis partium potentiae providentiales (*δυνάμεις προνοητικαῖ*) copulatae sunt.

44. Simili modo secundum unicam causae complexionem Deus incomprehense omnia et scit et continet in verbo suo, quod causas omnium in se ipso uniformiter anticipat⁴²). Etenim si unus sol noster omnia sensibilia foecundat et alit et auget et plurimorum diversorumque ipsius participantium causas in se ipso uniformiter anticipavit — potiori utique ratione in ipsis met solis et rerum omnium causa secundum unicam superessentialē copulationem rerum omnium exemplaria (*παραδείγματα*) praeexstitisse concedendum est, quandoquidem haec ipsa essentia producat exemplarium divinorum in providentia divina copulatam et uniformem multitudinem. „Exemplaria vero dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum et unite praeeistentes, quas divinus sermo vocat praedefinitiones et divinas atque bonas voluntates rerum definitrices et effectrices, secundum quas superessentialis Deus omnia quae sunt praedefinivit et produxit. — Quodsi nonnulli cum Clemente philosopho putant etiam illa quae in entibus principaliora sunt, exemplaria esse dicenda secundum quid, falli videntur⁴³). Omnia enim ad

⁴¹) D. V, 6.

⁴²) D. V, 7. Ubi haec adduntur „non est igitur absurdum ex parvis imaginibus ad causam omnium ascendere omniaque contemplari in causa omnium et quae sunt inter se contraria uniformiter et copulata“.

⁴³) D. V, 9—10: ‘*H* (sc. omnium causa seu verbum divinum) καὶ οὐσίας παράγει κατὰ τὴν ἀπὸ οὐσίας ἔκβασιν (= *ἀρχή* cf. C. IV, 1). *Παραδείγματα* δέ φαμεν εἶναι τοὺς ἐν θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιὸν καὶ ἑναίως προνοεστῶτας λόγους, οὓς ἡ θεολογία προσομοῖ καλεῖ καὶ ἀγαθὰ θελήματα τῶν ὄντων ἀφοριστικά καὶ ποιητικά, καθ' οὓς ὁ ὑπερούσιος τὰ ὄντα πάντα καὶ προώρισε καὶ παρήγαγεν. Εἰ δὲ ὁ φιλόσοφος *Κλῆμης* ἀξιοῖ καὶ πρός τι παραδείγματα λέγεσθαι τὰ ἐν τοῖς οὖσι ἀρχηγικάτερα — πρόεισι οὐκ ... ἀπλῶς. Ceterum in interpretando hoc Clementis philosophi placito quum mirum quantum interpretes discrepant (cf. Dion. Ar. opp. Venet. 1756. t. II. app. 402—407), simplicissima hic explicacione usi sumus. — Ad verbum fere cum theologo nostro in definienda idea consentit Staudenmaierus I. I. p. 834: „Die göttliche Idee von der Creatur schliesst in sich ein Wesen (*οὐσία*) Denken (*λόγος*) Wollen (*θέλημα*).“ Cf. ibid p. 530 et Hippler, Dionysius der Areopagite. p. 15.

exemplaria prima referenda sunt et ad primam causam, quae omnia in se praehabet excellentia simplicitatis et ab omnibus singulariter sed pro captu diverse participatur, quemadmodum et vox una eademque a multis auribus ut una percipitur. Omnium igitur principium et finis est Deus praeeexistens.⁴⁴⁾ Πάντων οὐν δέχεται τελετή τῶν οὐντων ὁ πρώτων. (D. V, 10.)

b. De vita et omnipotentia.

45. Deus vita, vita aeterna nominatur, quia omnem vitam in se praehabet, quia ex ipso principium vitae, ipsa vita (*αὐτοζωή*) et omnis cuiuslibet creaturae vita: seu spiritualis, seu rationalis, seu sensitiva, seu nutritiva et autrix, sive qualisunque denique vita. Omnis vita ex ipso qui nullius indiget (*ἀνενδεής*) et est et vivit et viget et in ipso secundum causam uniformiter praeeexistit et omnipotentia eius ad vitam perducitur. (D. VI, 1—2.) Quamvis enim supra potentiam Deus sit, tamen potentia (*δύναμις*) nominari potest, quia omnis potentiae est auctor. Vere omnipotens enim (*παντοδύναμος*) omnia quae secundum potentiam suam superessentialia existunt habet et praehabet in se omnibusque rebus tum ut esse et vivere possint, tum ut sint et vivant secundum affluentiam superabundantis potentatis copiosa fusione largitur. Quinimmo desuper innumerabiliter infinitas alias potentias producere potest, quae productae nunquam superinfinite potentiae eius potentificae (*δυναμοποιοῦ δυνάμεως*) effectiōnēm hebetare possunt. Haec ergo omnipotentia divina omnia penetrans omnibus quae sunt aliquam potentiam tribuit, et ex ipsa omnia quae sunt et sunt et vivunt et conservantur; nihil enim est quod omnipotentis tutela et conservatione divinae potentiae privatum sit⁴⁴⁾.

46. Attamen si Deus omnipotens est, quomodo fit, ut testante s. Paulo (2. Tim. 2, 13) se ipsum negare non possit? id quod contra omnipotentiam divinam Elymas magus infert.

Huiusmodi quaestiones tanquam arenaceae ludentium puerorum structurae propria sua infirmitate corruunt; siquidem sui ipsius negatio in Deo esset a veritate defectio; veritas autem est id quod re vera est (*τὸ ὄν*); a veritate defectio ergo nihil aliud esset quam defectio ab eo quod re vera est (*ἐξ τοῦ ὄντος ζητητικός*). Atqui ab ente deficere non potest, neque potest non esse (*τὸ μὴ εἶναι οὐκέτιτιν*); ac si quis dicat: non potest non posse et nescire nescit per privationem⁴⁵⁾.

Omnipotens igitur est Deus; quae eius divina virtus, quatenus omnia quae sunt secundum suam propriam speciem (*εἶδος*) servat et cuiusque rei essentialia salvat ordinemque, salus etiam vocatur et redemptio (*σωτηρία καὶ ἀπολύτωσις*), quia non sinit ea, quae sunt, in nihilum relabi, et si quid peccatum sit, paterne remissionem donat et e malo erigit, immo etiam in bono collocat et in statum pristinum omnia reducens ab omni labore liberat⁴⁶⁾.

Unde etiam omnitenens Deus vocari potest et dominatio (*παντοκράτωρ καὶ κυριότης*), quia omnia dominatu suo tenet, gubernat et firmat (*παρὰ τὸ κῆρος*), omnibus desiderabilis et amabilis et cunctis iuga voluntaria imponens et dulces stimulus amoris et omnitenentis insolubilisque suae bonitatis⁴⁷⁾.

c. De intelligentia et sapientia.

47. Sapientia Dei omnis sapientiae, et ipsius per se sapientiae (*αὐτοσοφίας*) et totius sapientiae universalis (*τῆς ὅλης*) et singularis (*καθ' ἔκαστον*), est creatrix, ipsa super omnem sapientiam, unde recte

⁴⁴⁾ D. VI et VIII, 1—3. D. VIII, 3—5; cf. descriptionem providentiae divinae omnia servantis vere poetica m.

⁴⁵⁾ D. VI.

⁴⁶⁾ D. VIII, 9.

⁴⁷⁾ D. X, 1. et XII, 2.

icit s. Paulus: „Quod stultum est Dei sapientius est hominibus“ (1. Cor. 1, 25). Ex illa sapientia et angeli et animae et sensus ipsi, si quis sapientiae quandam similitudinem et resonantiam (*ἀπίγχημα*) in iis esse dixerit, propriam suam habent intelligentiam, immo et daemonum mens ex ipsa est, in quantum mens est; in quantum vero amens est et id quod appetit nec scit nec vult assequi, verius sapientiae defectus dici debet (*σοργίας ἐκπιτωσίς*)⁴⁸⁾.

48. Quomodo vero Deus quidquam intellectibilem aut sensibilem percipere potest, quum supra omnem sensum et spiritualem actum sit collocatus? Ita ut mens divina comprehendat omnia cognitione quadam eminenti (*ἐξηρημένη γνώσει*), qua omnium cognitionem secundum omnium causam in se anticipat, prius quam angeli fierent cognoscens angelos eosque producens; item et cetera omnia intus et, ut ita dicamus, ab ipso exordio noscens et ad essentiam ducens (*εἰς οὐσίαν ἄγων*). Quemadmodum etiam dicit scriptura: „Omnia novit priusquam fiant“. (Dan. 13, 42.) Non enim ex rebus ipsis res discens novit eas divina mens, sed ex seipsa et in seipsa omnium scientiam et notitiam et essentiam praehabet, non singulis intendens, sed secundum unicam causae complexionem cuncta sciens et continens, sicut et lux secundum causam notionem tenebrarum anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras noscens. Seipsam igitur divina sapientia noscens sciet omnia: materialia sine materia, divisibilia indivise et multa unice, ipso uno (sc. verbo) omnia et cognoscens et producens. Etenim si secundum unam causam Deus omnibus quae sunt existentiam impertit — secundum eandem unicam causam sciet omnia tanquam ex se existentia et in se ipso praecexistens et non ex rebus rerum accipiet notionem, sed ipsis singulis ipsorum aliorumque notitiam largietur. Non habebit itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero communem res omnes complectentem, sed scientia sui ipsius ipsis res novit. Quemadmodum etiam simili modo angeli ea quae in terra sunt non secundum sensus sed secundum virtutem et naturam mentis deiformis cognoscunt⁴⁹⁾.

49. Secundum hanc omnipotentem sapientiam Deus omnibus, ut dignum est (*καὶ ἀξιῶν*), tribuit et congruentem modum et pulchritudinem convenientem et bonum ordinem omniaque ab omnium mixtione et confusione libera servat, quare et iustitia (*δικαιοσύνη*) nominatur. Quam qui cavillantur, videant ne propriam suam iniustitiam damnent. Aiunt enim mortalibus debere immortalitatem et temporaneis aeternitatem et mutabilibus identitatem (*ταυτότης*), quum re vera divina iustitia hoc ipso sit iustitia, quod omnibus quae sua sunt tribuit pro merito singulorum⁵⁰⁾.

50. At dixerit aliquis: non est iustitiae permittere viros sanctos a pessimis quibusque conculcari. Cui respondendum, quod, si quidem illi, quos appellat sanctos, terrena diligunt, quae ab amatoribus rerum materialium ambiuntur, vel hoc ipso iam a divino amore penitus exciderunt. Si enim ea quae vere sunt amarent, gauderent utique, quod votorum compotes facti per pericula laboresque ad angelicas virtutes magis accedere possint. Unde magis etiam congruit divinae iustitiae, ut nunquam proborum virorum virile robur rerum materialium largitionibus enervari atque emolliri patiatur, sed adiuvet eos in praeclaro illo et inconcusso statu nec non perseverantes pro meritis remuneretur⁵¹⁾.

Hoc modo omnes sancti a Deo educati sunt et educantur ad sanctitatem, i. e. ad vitam ab omni scelere liberam et omnino perfectam et ad puritatem omni ex parte immaculatam. Qua de causa etiam *sanctus sanctorum* nominatur et *perfectus*⁵²⁾ (*ἄγιος ἀγίων καὶ τέλειος*). Siquidem non solum ipse et per se ipsum perfectus est totusque per se totum perfectissimus, sed etiam, quia supra-

⁴⁸⁾ D. VII, 1—2.

⁴⁹⁾ D. VII, 2.

⁵⁰⁾ D. VIII, 7.

⁵¹⁾ D. VIII, 8.

⁵²⁾ D. XII, 2 et 4.

perfectus est secundum omnium excessum; omnem infinitatem definiens, supra omnem finem expansus, et a nullo comprehensus, sed ad omnia indeficientibus largitionibus et operationibus pertingens. Nullum praeterea accipit incrementum nec minui potest, omnia exuberans superplena et immutabili largitione, per quam unumquodque congrua ipsi perfectione adimplet dispersaque coniungit divina et supernaturali sua pace⁵³⁾.

51. Divina enim pax cuncta connectens universorum concordiam ac consonantiam gignit, quare etiam hanc pacem expetunt universa, ut eorum divisam multitudinem ad integrum redigat unitatem atque intestinum universi bellum (*ἐμφύλιον τοῦ παντὸς πόλεμον*) ad concordem inducat commorationem. Huius pacis participatione superiora inferioribus, extremis extrema per media connectuntur nec non, dum sine confusione colliguntur et sine dissolutione continentur, cum Deo pacis utique autore et principio, qui ad omnia individue venit, coniunguntur. De ipsa vero divina pace, quam s. Iustus *ἀγθεγένιαν* nominat, i. e. immutabilitatem et insonantiam, et quomodo Deus in se et intra se sit et totus secum sit superunitus, et quomodo ad omnia egrediatur totus in se manens, propter excellentiam unionis omnia superant — neque dicere neque intelligere ulli eorum qui sunt fas est neque ullo modo fieri potest.

Nihilominus nonnulla de hac pace sciuntur; nam ad omnia procedit suique participationem omnibus indulget secundum cuiusque proprietatem, neenon pacifice bonitatis redundantia exuberat, quamvis per unionis excessum tota in se et secum unita maneat.

52. Quin etiam omnis motus et movendi se appetitus in creaturis ad divinam tantummodo quietem et pacem aspirat et usque adeo movetur, donec requiescat in Deo. Ab omnibus enim haec coelestis pax et amatur et desideratur, ab illis quoque, qui litibus furoribus instabilitatibusque delectantur. Etenim et hi obscuris quibusdam pacifici desiderii simulacris detinentur, dum perturbationibus variis aguntur, quas imperite sedare desiderant, pacem se habere rati, si continuo fluentibus voluptatibus insistant et perturbentur, si rebus illis, a quibus ipsi devicti sunt, frustrentur. Quid porro dicet quis de verbi divini pacifica benignitate, qua docemur non ultra bellum gerere neque cum nobis ipsis neque cum proximis neque cum angelis, quibus potius pro virili cooperandum est in iis quae ad Deum spectant, iuxta ipsius Iesu providentiam, quae omnia in omnibus operatur neenon pacem conferens ineffabilem nos sibi in spiritu et in se ipsi patri reconciliat⁵⁴⁾.

III. De sensibilibus Dei nominibus sive de theologia symbolica⁵⁵⁾.

53. Non solum a providentiis universalibus aut particularibus, aut ab iis quae providentiam capiunt⁵⁶⁾, sed a quibusdam divinis visis etiam, quae aliquando in sacris templis aut forte alibi sacer-

⁵³⁾ D. XIII, 1.

⁵⁴⁾ D. XI, 1—6. Plura de hac divina pace et de aliis supernaturalibus donis et gratiis in libro „de divinis informationibus“ hodie perduto autor noster tractaverat. Cf. D. XI, 6: *Περὶ ὧν ὑπερφυῶν δῶρων ἐν ταῖς θεολογίαις ὑποτυπώσεσιν ἵκανως εἴλογται.*

⁵⁵⁾ De symbolica theologia proprium a se opus conscriptum esse saepius autor noster testatur. Quod quum hodie iam non exstet, locum illum ex mystica theologia (III), quo argumentum huius libri paucis proponitur, hic exhibemus. „Ἐν δὲ τῇ συμβολικῇ θεολογίᾳ τίνες αἱ ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ θεῖα μετωνυμία, τίνες αἱ θεῖαι μορφαὶ, τίνα τὰ θεῖα χρήματα καὶ μέρη καὶ ὅγανα, τίνες οἱ θεῖοι τόποι καὶ κόσμοι, τίνες οἱ θυμοὶ, τίνες αἱ λύπαι καὶ αἱ μῆνες, τίνες αἱ μέθαι καὶ αἱ κρατάλαι, τίνες οἱ ὅρκοι καὶ τίνες αἱ ἀράι, τίνες οἱ ὑπνοι καὶ τίνες αἱ ἐγοηγόρσεις, καὶ ὅσαι ἄλλαι τῆς συμβολικῆς εἰσὶ θεοτυπίας ἔρδοπλαστοι μορφώσεις“. Unde apparat magni voluminis fuisse hanc theogiam symbolicam, id quod et ipse autor significat, quum ibidem brevi post dicit: „Καὶ σε οἴομαι συνεωρακέναι, πῶς πολυλογώτερα μᾶλλον ἔστι τὰ ἔσχατα τῶν πρώτων,“ i. e. quam libri de div. nominibus et de theol. informationibus, qui ipsi haud parvi sunt voluminis.

⁵⁶⁾ D. I, 8: ἀπὸ τῶν παντελῶν ἢ μερικῶν προνοιῶν ἢ τῶν προνοούμενων.

dotes (*μύστας*) vel prophetas illuminaverunt, et a rebus sensibilibus nomina divina in sacra scriptura desumuntur formaeque et figurae humanae aut igneae aut electri ei tribuuntur, vel oculi, aures, capilli, facies, manus, scapulae, alae, brachia, posteriora et pedes; aut etiam coronae, sedes, pocula, crateres, specula aliaque ei affiguntur⁵⁷⁾.

De imaginibus ergo sensibilibus, quibus Deus in s. scriptura infertur, in theologia symbolica tractandum erit. Quae quidem imagines vel 1) ab homine hominisque partibus, vel 2) a rerum natura, in primis a quatuor elementis, vel 3) a rebus manu factis depromuntur. Atque de his pauca quaedam exempli gratia afferentes ab homine initium faciamus.

54. Quemadmodum enim si quis cogitando animam (*ψυχήν*) ad corporeae figurae modum eam repraesentaret et rei partium experti partes corporeas affingeret, alio modo in ea partes illi attributas intelligeremus, et caput quidem intelligentiam, cervicem vero opinionem (*δόξαν*), utpote medium inter rationem atque irrationalitatem, pectus deinde animi affectionem (*θυμός*)⁵⁸⁾, ventrem: concupiscentiam (*ἐπιθυμίαν*), crura denique ac pedes naturam vel ingenium (*γένος*) diceremus — ita multo sane potiori ratione in eo qui omnibus eminet diversitas illa formarum atque figurarum sacris quibusdam ac Deo congruis mysticisque explanationibus anagogice est describenda. Et si tripartitas corporis humani dimensiones ipsi Deo attribuere quis voluerit, divina latitudo dicenda est latissima ad universas res progressio, longitudo autem potentia quae super omnia expanditur, profunditas vero arcanum illud omnibus inaccessum eiusdemque ignoratio⁵⁹⁾.

Quum vero Deus dicitur stare aut sedere aut moveri, hoc intelligendum est non secundum delationem, mutationem, alterationem vel conversionem aut secundum localem motum, sed secundum quod Deus omnia in essentiam producit continentque atque omnibus modis rebus omnibus providet, omnibus adest, incomprehense omnia complectendo idque omnibus providentiae viis et operationibus. Atque hoc quidem sensu motus quidam ita de Deo potest praedicari, ut

- a) motus rectus (*εὐθύς*) intelligendus sit de inflexibilitate et indeclinabili progressu operationum (*τῶν ἐνεργειῶν*) eoque qui ex ipso est rerum omnium ortu,
- b) motus obliquus, i. e. ex recto et orbiculari compositus (*ἔλικοειδής*), de illarum stabili progressu ac foecundo statu,
- c) circularis denique motus (*κυκλικός*) de identitate et complexione mediorum atque extremorum quae continent et continentur et de illorum quae ab ipso prodierunt ad ipsum conversione⁶⁰⁾.

55. Ex rerum natura in primis quatuor elementa divinae proprietatis imagines prae se ferunt et inter haec potissimum elementum ignis⁶¹⁾). Sensibilis enim ignis inest omnibus ac pure cuncta pervadit et ab omnibus excipitur; quumque totus luceat simul est et occultus, ignotusque manet per se non adhibita materia (*ὕλη*) in quam vim suam exerceat. Intolerabilis est et invisibilis, omnia superat eaque quibus insedet ad suum traducit officium. Alterandi quoque vim habet, omnibus sibi quoquo

⁵⁷⁾ D. I, 7 et 8.

⁵⁸⁾ C. II, 4 et XV, 8, ubi *θυμός* ab autore ipso sic explicatur, ut sit spiritalis fortitudo (*ἀνδρία*), eius ira (*θυμός*) novissimum vestigium existit. Cf. C. II, 3.

⁵⁹⁾ D. IX, 5.

⁶⁰⁾ D. IX, 8 et 9.

⁶¹⁾ In quatuor partes secundum quatuor elementa hanc theologiae symbolicae partem divisam fuisse ipse autor docet C. XV, 6: „sicut diximus in theol. symb. κατὰ τὴν τετράστοιχον ἀνακάθασσιν.“

modo propinquibus sui consortium tribuens; renovat omnia, calore vitali et fulgoribus apertis illuminat; teneri miscerique non potest, secernendi vim habet, immutabilis est, sursum fertur, penetrabilis, sublimis, nullam sustinens deiectionem, semper mobilis se ipso movetur, movet alia, comprehendendi vi pollet, comprehendendi nequit; non eget altero, clam se amplificat et in qualibet capaci materia suam indicat maiestatem. Efficax est, potens, omnibus invisibiliter praesens; si negligitur, non videtur existere; attritu autem velut indagine quadam et inventione connaturaliter ac proprie subito reluet atque sursum incontinenter evolat et in omnibus luculentissimis sui communionibus minime minuitur. — Quae et aliae ignis proprietates quasi sensibiles existunt divinae efficacitatis imagines⁶²⁾. Stadtbibliothek Lenz

56. Similia quoque de reliquis elementis et de rebus hominum arte factis dicenda sunt; „sed prudentibus unius iam imaginis obscurae mystica declaratio satis est“⁶³⁾. Quare hic in fine totius de Deo doctrinae iam superest ut explicemus, quoad fieri potest, cur Deus et quomodo unus vocetur. Unitas enim divina tum ad superessentialia, tum ad spiritalia, tum ad sensibilia Dei nomina referri potest⁶⁴⁾.

57. Nihil eorum quae sunt unitatis est expers; sed quemadmodum omnis numerus participat unitatem atque unus binarius, senarius, denarius etc. dicitur et dimidium unum, — similiter etiam omnis et quaelibet particula particeps est unius, et hoc ipso quo haec omnia unum sunt etiam omnino sunt quaecunque sunt. Neque vero unum illud quod est omnium causa unum quid est ex pluribus, sed quod ante omne unum omnemque multitudinem omne unum multitudinemque definit; neque enim unquam multitudino expers est unius, sed quae sunt multa numero, unum quid sunt specie (*εἶδος*) et quae sunt multa specie, unum quid sunt genere (*γένος*) et quae sunt multa processionibus (*προόδοις*) unum quid sunt principio (*ἀρχῇ*). Neque quidquam est expers illius unius, quod per omnia unicum est et omnia, quin etiam opposita, unice anticipavit. Ac sine uno quidem non erit multitudine, sed sine multitudine erit unum, sicut et unitas ante omnem numerum multiplicatum. Ea vero quae unita sunt secundum uniuscuiusque ideam praecognitam (*προεπινούμενον εἶδος*) uniri dicuntur; dum sublata unitate quae omnium est elementum (*στοιχειωτικόν*) neque totalitas neque particula in rebus erit. Hac itaque ratione s. scriptura (*ἡ θεολογία*) totum Deum tanquam omnium causam nomine unius laudat, atque hoc modo unus est Deus pater et unus Dominus Iesus Christus atque unus idemque spiritus per superabundantem divinae unitatis indivisibilitatem, in qua omnia unice (*ἕνεκῶς*) sunt coniuncta et supraquam unita et superessentialiter (*ὑπερονοσίως*) praeexistens. Quapropter etiam ad ipsam omnia iure meritoque referuntur eique attribuuntur, a qua et ex qua et per quam et in quam et ad quam omnia sunt et componuntur et manent et continentur et convertuntur. Neque quidquam reperi potest eorum quae sunt, quod non ex uno illo, secundum quod omnis divinitas superessentialiter nominatur, et sit id quod est et perficiatur et conservetur. Superessentiale vero illud unum definit et id quod est unum et omnem numerum, essentiae utique participem; ipsum videlicet est et unius et numeri et omnis rei principium et causa et numerus et ordo. Quamobrem illa unitas atque trinitas quae est divinitas super omnia nullo modo eadem unitas aut trinitas est, quae a nobis aut alio quopiam eorum quae sunt cognoscitur; sed ut superunitum eius simul et foecundum vere laudemus, trinum et unum Deum nominamus illum qui super omne nomen est. Quinimmo nec ipsum nomen bonitatis, ut de ceteris

⁶²⁾ C. XV, 2.

⁶³⁾ C. XV, 6.

⁶⁴⁾ Quum autor ipse librum suum de div. nom. hoc tractatu „de unitate“ concludat, eundem ordinem servandum esse putavimus, quamvis melius fortasse haec expositio in superessentialibus Dei nominibus exhiberi potuisset.

taceamus, ei tanquam aptum accomodamus; sed desiderio aliquid intelligendi et dicendi de natura illa arcana et ineffabili omnium nominum sanctissimum ipsi primum consecramus, in quo quidem cum saera scriptura convenimus, sed ab ipsa rerum veritate multum deficimus.

58. Quam ob rem theologiae affirmativa est negativa et mystica, quae per negationes ascendens necnon animam a cognatis rebus avocans perducensque per omnes divinas intelligentias et sensibiles imagines Deo ipsi amore exstatico nos tandem coniungit, eo videlicet modo, quo tum secundum nostram tum secundum ipsius naturam fieri hoc potest. (D. XIII, 2—3.)

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit diebus Iovis, Veneris, Saturni h. IX—X.
- II. Theologiam moralem docere perget diebus Lunae, Martis, Mercurii h. IX—X.
- III. Antiquitates ecclesiasticas tradet diebus Mercurii et Saturni h. XI—XII.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

- I. Theologiam dogmaticam tradet dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. X.
- II. Apologeticen tractabit dieb. Lunae et Mercurii h. II.

Dr. Franc. Hippler, P. P. O.

- I. Theologiam pastoralem docebit sexies per hebdomadem hora VIII.
- II. Ius matrimoniale tradet diebus Lunae et Veneris hora II.
- III. Disputationes de rebus theologicis instituet horis definiendis.

Lic. Hugo Weiss, P. P. E.

- I. Selecta vaticinia Iesajae explicabit ter per hebd. hora VIII.
- II. Evangelium secundum Ioannem interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- III. Introductionem generalem in sacros V. et N. T. libros dabit bis per hebd. horis definiendis.
- IV. Si professor juris canonici nondum renunciatus fuerit, bis per hebd. horis definiendis disseret de jure canonico.

~~~~~

Prof. historiae ecclesiasticae et iuris canonici, quum renunciatus fuerit, lectiones indicabit.

### B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

---

#### **Dr. Frid. Michelis, P. P. O. h. t. Decanus.**

- I. Psychologiam docebit quater hor. X.
- II. Aristotelis Metaphysica tractabit bis hora X.
- III. Philosophiam naturalem tradet horis definiendis.

**Dr. Laur. Feldt, P. P. O.**

- I. Physicen experimentalem docebit et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Martis et Iovis hora XI—XII.
- II. Aut Astronomiam popularem cum Astrognosia coniunctam exponet, aut Trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: v. Sniadecki's analytische Trigonometrie, übersetzt von Dr. L. Feldt tradet diebus Mercurii et Veneris hora XI—XII.
- III. Historiam et naturam disciplinarum mathematicarum inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit bis per hebd. horis definiendis.

**Dr. Ios. Bender, P. P. O.**

- I. Historiam generis humani primaevam resque populorum Orientalium enarrabit ter per hebd. h. VIII.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebdomadē h. VIII.
- III. Primordia ac fata linguae Theotiscae exponet semel per hebd. h. VIII.

**Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.**

- I. M. Tullii Ciceronis de natura deorum et de divinatione libros enarrabit ter hebdomade hora IX.
- II. Patrologiam q. v. tractabit bis hebdomade h. IX.
- III. Eusebii historiae ecclesiasticae libros VIII—X interpretabitur et de Socrate, Sozomene, Theodoreto, Philostorgio, Gelasio disseret h. d.
- IV. Inscriptiones selectas explanabit h. d.
- V. Exercitationes philologicas instituet h. d.

**Dr. Ios. Krause.**

- I. Encyclopaediam philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
- II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
- III. Paedagogicen tradet bis per hebdom. horis definiendis.
- IV. Capita selecta „e Ritteri et Prelleri historia philosophiae graecae et romanae“ tractabit semel per hebd. hora X.

**Publica doctrinae subsidia.**

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Lic. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.